

IN ORATIONEM
JEREMIAE
PROEMIUM.

POST lamentationem ergo (quae literis Hebraicis secundum seriem earumdem literarum quadruplicem, opportunis locis ut diximus, praenotata est) sequitur oratio Prophetae, quae vastationem urbis Jerusalem, & casum populi Judaeorum, historialiter deplorat. Et spiritualiter ruinam animarum fidelium, & vastationem quam passae sunt a nequitiis spiritualibus flebiliter commemorat. Ad extremum vero ipsius Domini opem, & misericordiam subvenire afflictis humiliter deprecatur.

COMMENTARIJ
DIVI HIERONYMI
IN ORATIONEM
JEREMIAE.

Caput V.

RECORDARE Domine quid acciderit nobis: intueri, & respice opprobrium nostrum. Usus Prophetarum est, frequenter per humanas consuetudines Dominum supplicare. Recordare enim, vel memento, illi dicitur, qui nullius aliquando potuit oblivisci. Non enim ut ad memoriam redeat divinitas commonetur, coram qua omne praeteritum & futurum semper praesens est. Non est dignum in illa majestate ponere oblivionis injuriam: sed ideo recordari, vel meminisse postulat, ut cito auxilium indigentibus conferratur: & palam faciat quod antea fuit occultum. Has enim Tropologias frequenter in scripturis divinis invenies, ut est illud in Genesi: Recordabor foederis mei. Vel in Exodo: Recordatus est Dominus pacti quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Jacob. Sive illud quod Moyses ad Deum dicit: Recordare Abraham, Isaac, & Jacob. Recordare, inquit, Domine quid acciderit nobis, in calumnia vastationis: intueri & respice opprobrium nostrum: quod passus sumus ab his qui duxerunt nos quasi servos captivos in terram alienam, & abusus nostri ad servitium suum.

Haereditas nostra versa est ad alienos: domus nostra ad extraneos. Cum diverse gentes undique congregatae, possident terram inclytam: quam promissisti patribus nostris dare in possessionem.

Pupilli facti sumus absque patre, matres nostra quasi viduae. Quia defensore destituti sumus quasi pupilli: nec personas habemus, quae nobis nutriminis solatia solebant conferre: sed quasi viduae omni provisione ac consolatione privati sumus.

Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus. Duo elementa in quibus maxime nutritur vita humana, & quorum usus omnibus communis est, sibi dicit propter captivitatis penuriam difficile esse adempta: ita ut nec aquam ad bibendum, nec ligna ad focum sine pretii redemptione habere possent.

Cervicibus minabamur: lassus non dabatur requies. More fumentorum cervicibus ligatis se minari dicit: quia hostis eorum, nullam dominationem sui habere permittit, sed trahuntur quocumque impetus dirigentis voluerit: nec lassus ad refrigerandum ulla datur facultas, & unde solatium quaesierunt, mox subdit, dicens:

Aegypto delinimus manum & Assyriis, ut saturaremur pane. Semper enim Israelitae aversi sunt cordibus in Aegyptum, & ab Assyriis saepius auxilia petebant. Unde merito ab eis sunt flagellati: quibus deserto Deo propter cupiditatem terrenam, elegerunt esse subjecti. Juxta Allegoriam

verò haec querimonia convenit his qui propter peccata sua virtutibus spoliati, traditi sunt in manus hostium spiritualium: & maxime Judaeis, qui post Christi adventum inintentes veteri traditioni, ipsam legem Moysi & benedictionem paternam, quam haereditario jure videbantur possidere, perdidit: & data est gentibus, quae in Christo crediderunt: quia in semine Abraham benedictur omnes cognationes terrae. Unde repugnantibus illis, & contradicentibus praedicationi Pauli & Barnabae, responsum est: Vobis oportebat primum praedicare verbum Dei: sed quia repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. Isti ergo quasi pupilli facti sunt absque patre: quoniam Deum verum patrem habere renuerunt, & alium patrem elegerunt. De quo ad illos dictum est: Vos ex patre diabolo estis. Horum matres nimirum synagogae, factae sunt quasi viduae: quia priorem virum, hoc est, Deum propter fornicationem idololatriae habere non meruerunt. Hi aquam scientiae voto dicendi, quasi pecunia ad bibendum redimunt: sed quia Christum in ea non inveniunt, aeterna siti disperunt, semper quidem discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Similiter etiam ligna pretio comparant, cum extencendis virtutibus operam dant. Sed quia ardorem charitatis in eo habere despiciunt, in vacuum totum laborem expendant. Hos quidem Scribae eorum, & Pharisei per varias sectas & traditiones inutiles, cui cervicibus junctis minabantur: nec lassus in eo dabatur requiem. Et quoniam Aegypto spirituali & Assyriis propter gulam servire magis quam Deo eligunt, aeterna egestate peribunt. Sic enim patres eorum terrenis negotiis atque voluptatibus dediti fecerunt: & filii eorum adhuc facere non desinant. Ideo sequitur:

Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus. Ideo iniquitates eorum portaverunt, quia imitatores eorum in nequitia extiterunt: juxta illud quod scriptum est: Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obtupuerunt. Et in Exodo: Ego sum, ait, Dominus tuus aemulator, qui reddo peccata patrum super filios usque ad tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me: & faciam misericordiam in millia, his qui diligunt & custodiunt praecepta mea. Nec contrarius est iste locus illi testimonio Ezechielis, ubi dicitur: Filius autem non portabit iniquitatem patris: nec pater iniquitatem filii: quia mox sequitur: Justitia justi erit super eum.

Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. Servos appellat gentiles, qui idolis serviebant, & demonibus immolabant: in quorum dominium propter peccata sua traditi sunt Israelitae, qui quondam fuerunt in loco filiorum deputati. Unde scriptum est: Ex Aegypto vocavi filium meum primogenitum Israel. Nec fuit qui redimeret illos de manibus eorum. Quoniam defensorem, & liberatorem Deum habere non meruerunt.

In animabus nostris afferabamus panem nobis, a facie gladii in deserto. Hoc est cum animarum nostrarum periculo quaesivimus nobis victum in deserto gentium constituti. Merito ergo servis subjicitur, qui libertatem sponte perdidit. Si enim in Christum Judaei crederent, verè liberi essent: &

panem vitae passus, periculum animarum suarum veraciter devitarent. Nunc autem quia verum liberatorem spreverunt, imò crucifixerunt, de terra sua ejeti, vagi & profugi in toto versantur orbe, & sedibus incertis discurrentes, victum cum periculo vitae acquirunt. Quod bene Cain parricida praefigurabat: cui data est sententia: ut vagus, & profugus, pavens & tremens, per loca varia discurreret: nec usquam tutus & securus maneret.

Pellis nostra quasi cibus exarsit, a facie tempestatum famis. In pelle exulta deformitatem obscenam ostendit, quam fame, & siti & nuditate inter hostes positi passi sunt. Cibus est coquendis panibus aenei vasculi deducta rotunditas, quae sub urentibus flammis ardet intrinsecus. In qua similitudine merito peccatores Judaei ponuntur, qui in futuro Judicio, & morte animi, & poenali exercitatione torquendi sunt: quia contra regulas Domini obstinata mente vixerunt. Unde scriptum est in Psalmis: Pones eos ut cibus ignis in tempore vultus tui. Tempus verò vultus Domini, dies judicii est, quando filius hominis videbitur ab hominibus: sed soli eum justi etiam divinitatis suae contemplatione respiciunt. Veraciter enim fame conficitur, quisquis celesti pane satiari non meretur.

Mulieres in Sion humiliaverunt, virgines in civitatibus Juda. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. Adolescentibus impudice abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt. Diversas species calamitatis enumerat, quas gens nefanda in devastatione Chaldaeorum sive Romanorum perpessa est. Ibi enim mulieres eorum constupratae sunt, virgines in civitatibus oppressae, principes manibus victi, senes sine honore, adolescentes & pueri in turpis officii abusione. Hoc enim ideo eis contingit, quia creatorem suum honorare noluerunt, sed falsis diis atque simulacris humana arte confectis, divinum honorem impartierunt: ut qui propter libidinem suam in cultura fallorum deorum impudice vixerunt: hostium manibus traditi, omni turpitudine & confusione afficerentur. Sed juxta Allegoriam, quisquis saevitiam spiritualium hostium intelligit veraciter, ingentem confusionem quam in animabus sua fraude deceptis gerunt agnoscit: ubi omnis impudicitia atque immunditia, insolentia & inhonestas regnat: ubi tot apparent confusiones, quot sunt vitiorum facies.

Senes defecerunt de portis: juvenes de choro psallentium. Nec enim ibi potest maturitas esse consilii, ubi nullus est ordo iudicii: nec psallentium chorus ibi consistere potest, ubi dolor & gemitus praesens est. Musica enim in luctu, ut quidam ait, importuna narratio. Unde et sequitur:

Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum choros noster. Cecidit corona capitis nostri: ut nobis quia peccavimus. Bene ergo ibi dicitur chorum in luctum conversum esse, ubi constat gaudium cordis defecisse, & honorem verae religionis periisse: quia ubi non est laetitia mentis, frustra sonat melodia carminis. Unde Propheta ex persona captivorum in Psalmis ait: Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recorderemur Sion, in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Et quia Propheta luctum sibi inditum, & gloriam depositam conquestus est, causam addit afflictionis suae & doloris: *Vae*, inquit, nobis quia peccavimus. Peccato enim commisso, & non per condignam poenitentiam & correctionem vitae emendato, merita vindicta successit: quia quod homo poenitendo non corrigit, divina ultionis sententiam expectabit: attestante Apostolo qui ait: Existimas o homo qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei: An divitias bonitatis ejus, & patientiae, & longanimitatis contemnis: ignoras quoniam benignitas die te ad poenitentiam adducit?

Propterea massum factum est in dolore cor nostrum: ideo contumbrati sunt oculi nostri. Rectè ergo propter peccatum,

maestum cor factum esse dicitur: quia ubi iniquitas premeo infidet cordi: ibi non est habitatio Spiritus sancti: sed animus totus caligine obscuratur peccati: cum in eo dedignatur splendorem suum infundere gratia summi paracliti. Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet factum: & in malivolum animam non introibit sapientia. Nam aliam adhuc subjungendo pandit mœroris causam.

Propter montem Sion, quia dispersit: Vulpes ambulaverunt in eo. Juxta historiam ergo digna fuit doloris maestitia: quod in loco ubi sanctuarium Domini constitutum erat, & cultura Dei celeberrima, bestiarum ibi fuerunt latibula. Secundum Allegoriam autem non minus imò magis dolendum est, quod in anima Christiana ubi contemplatio fuit divina, erroris regnet insipientia. Vulpes enim non alios quam haereticos, propter dolum & calliditatem intelligere debemus: qui ubicumque cum dogmate suo intraverint, totum animum turbant, & tenebris erroris obcaecant.

Tu autem Domine in aeternum permanebis: & solium tuum in generatione, & generationem. Quare in perpetuum oblivisceris nostri: ne derelinquas nos in longitudine dierum. Enumerata multitudine tribulationum, quas supra retulit Propheta, aeternam Domini potentiam, & majestatem, & solium ejus, verbis simplicibus commemorando praedicat: quatenus eum humiliter petitione ad miserandum provocet, ad accelerationem opportuni auxilii: ne diu sub hostium dominatione constituti, poenitentiae desperatione deficiant. Quod autem dicit: Quare in perpetuum oblivisceris nostri, more humano loquitur, quod quasi oblitus omnino spernere videatur, qui es cito non auxiliatur: cum alibi de eo scriptum sit: Non in finem irascetur. Et iterum: Non repellit Dominus plebem suam. Non enim Judaicam plebem Dominus ita repulit, ut ultra eis misereri nolit: sed caecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret. Nunc quoque quotidie, sicut dudum fecerat, aliquos ad fidem Christi, & Ecclesiasticam unitatem convertit, ut electio salva fiat: nam & ex ipsa plebe quam sibi Dominus in patribus cognoscitur elegisse, exierunt Prophetae: inde sunt & Apostoli multi fideles, qui Domino sincera mente crediderunt: sicut doctor gentium testatur, dicens: Nuncquid repulit Dominus plebem suam quam praescivit? Absit, nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin, & reliqua. Sed unde eis vera salus provenire possit, subjungendo manifestat:

Converte nos Domine ad te: & convertemur: innova dies nostros sicut a principio. Quem enim Dominus converterit, ille veraciter salvus erit: quem autem ipse desperaverit, nemo corrigere poterit. Quod autem dicit: Innova dies nostros sicut a principio: hoc postulare videtur: ut sicut a principio primos Patriarchas eorum Abraham, Isaac, & Jacob plena fide, & dilectione sibi esse fecit devotos: ita & ipsos eodem munere sibi fideles ac devotos facere dignetur. Quod in adventu Heliae per Malachiam Prophetam illis promissum esse plerique arbitrantur, ubi dicitur: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & converteret cor patrum ad filios: & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.

Sed projiciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer. Non enim haec quasi desperando de salute populi sui locutus est: sed ut dolorem suum nimium de contritione, & abiectione diutina gentis suae manifestaret. Vidit enim propheticis spiritu quod ipsi Judaei in adventu Christi non essent credituri: sed Evangelio contradicaturi: & ipsum haereditatem morti tradituri, sicut in plerisque locis istius libri ante declaravit. Ceterum de conversione ejus ultima nullo modo dubitavit: sed plenissime credidit quod in semine Abraham benedictur omnes cognationes terrae: in qua universitate nimirum & ipsi Judaei comprehenduntur.

Explicit Commentarius in orationem Jeremiae.

